

### Lektion 3 – die Schule wartet

«Caecilia! Ubi es? », Quintus sororem vocat. « Atticus nos expectat. » « Iam venio ! », Caecilia clamat et ad fratrem properat. « Tandem venis! Properare debemus!», Quintus sororem monet.– «Cur clamas? Iam adsum!»

Atticus atrium intrat, liberos non videt, clamat: «Quinte, Caecilia, ubi estis? Quid clamatis? Vos iam expecto. Cur non venitis?» Quintus et Caecilia ad paedagogum in atrium currunt. Statim Caecilia dicit:«Salve, Attice! Iam venimus, iam adsumus!» Atticus :«Salvete! Agedum! Properare debetis!» Tum Atticus clamat:«Quinte, tabulam non video, stilum non video; ubi sunt?» Puer nihil dicit, in cubiculum currit, ad paedagogum recurrit, stilum et tabulam monstrat. Atticus autem puerum monet:«Tandem tabulam et stilum portas! Semper te monere debeo! Semper te expectamus!» Nunc paedagogus et liberi in scholam properant.

«Venite, Quinte et Caecilia! Intrate! Nunc incipimus!» Quintus et Caecilia intrant. Tum Lysander discipulos salutatur:«Salvete !» Discipuli quoque magistrum salutant:«Salve, magister!» - «Considite et tagete!» Discipuli consedunt, sed non cuncti tacent. Spurius et Marcus Quintum et Caeciliam irridunt:«Vos semper sero venitis, nos semper tempore adsumus!» Magister liberos monet:«Nolite susurrare! Tagete et audite! Hodie versus legimus!»

Magister librum evolvit et versus monstrat.«Nunc, Marce, lege!» Marcus nihil dicit. «Marce, noli dormire! Cur non legis? Incipe!» Marcus respondet:«Iam incipio: QUIDQUIDID EST TIME ODANA OSET DO NAFER ENTES...» Ceteri Marcum irridunt. Lysander autem clamat:«Tacete! Nolite eum irridere! Et tu Marce, tace et audi! Ego nunc lego: QUIQUID ID EST, TIMEO DANAOS ET DONA FERENTES. – Lege iterum, Marce!» Marcus iterum legit; Lysander eum laudat: «Nunc bene legis, Marce!»

Postea ceteri quoque versus legunt. Tum magister: «Ubi sunt tabulae? Capite eas et scribite!» Iam Lysander versus dictare incipit. Discipuli scribunt, sed Marcus et Spurius susurrant et rident. Statim Lysander ad eos properat:«Cur vos non scribitis, pueri? Cur non incipitis? Spuri, cur laborem non incipis? Monstra tabulam!» Spurius eam monstrat – et Lysander stupet, nam legit:«Timeo magistros – et versus dictantes!» Discipulis rident; tandem etiam magister ridet, Spurium autem reprehendit:«Noli me irridere, Spuri!»